



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

in decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XV. Vtrum sufficiat ad valorem sacramenti intentio virtualis, vel habitualis
illud perficiendi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

sicut dicere duas aliquas entitates purè physicas esse diuersas ex modo essendi nihil est dictum, & perinde valet ad intelligentiam rerum, de quibus agitur, atque si præcisè diceretur esse diuersas, seu alteri earum inesse aliquid, quod non inest alteri, atque oportet hoc aliquid ulterius determinare, ac explicare, ut aliquid vtiliter agatur; ita etiam nihil est dictum, duos actus, seu intellectus, seu voluntatis differre inter se ex modo tendendi, respondetur enim per genus, quando quæritur de specie. Quod attinet ad simplices apprehensiones, ac iudicium ab eis dependens, certum est differre realiter ex parte obiecti inadæquati, quia iudicium ultra obiectum simplicium apprehensionum, cognoscit ipsas simplices apprehensiones, earumque, & sui conformitatem cum obiecto, siquidem illi assentiatur, prout in iisdem apparet; si verò dissentiat, cognoscit earundem cum eodem disconformitatem. Qui enim assentitur, vel dissentitur obiecto sibi proposito, necesse est, ut indiuisum feratur in idem obiectum, & eius propositionem, & ut utrumque inuicem conferat. Videatur D. Thomas prima part. q. 16. art. 2. cap. ad med. & 1. 2. quæstion. 17. art. 6. cap. & ad 1. Istæ igitur paritates, aliæque similes, de quibus longum est dicere in particulari, sunt potius vtilis ad distinctionem intentionum, de quibus disputatur ex parte obiectorum, pro qua tamen distinctione, data est specialis ratio pro re nostra.

Ad 3. iam assignatum est obiectum intentionis sufficientis ad valorem sacramenti realiter superadditum ultra materiam, & formam, & actiones circa utramque. De reliquis, quæ ibi adiunguntur innotescet quæst. seq. Hoc vnum obseruandum modò est; non posse poni à parte rei causam proximam effectus habentis rationem liberæ, ac voluntariæ dispensationis, remissionis, ac reconciliationis, & non potius existere sine hac ratione, & denominatione; quin intendatur ipse effectus secundum se. Quia ab huiusmodi solum intentione rationem illam formalem, ac denominationem fortiri potest. Ostensum autem est ministrum sacramenti eo modo posse, & non aliter conferre gratiam.

QVÆSTIO XV.

Virum sufficiat ad valorem Sacramenti intentio solum virtualis, vel habitualis illud perficiendi?

Videtur utramvis sufficere utcumque conceptam. 1. Quoad virtuale, tum quia intentio virtualiter in se continens intentionem formalem, habet virtutem eandem, quam habet formalis, eidemque æquualet; tum quia infidelis potest validè perficere sacramentum, ut dictum est super ex Augustino, nec potest in dubium reuocari; & tamen non potest infidelis concipere intentionem formalem, aut conferendi gratiam, aut perficiendi sacramentum; utpotè nullam habens explicitam cognitionem donorum supernaturalium, institutionis sacramentorum, aut gratiæ. Habitualement verò sufficere constat: tum in genere, quia voluntas actualiter semel habita, & non retractata æstimatur interim pro actuali, eisdemque vniuersaliter effectus morales sortitur, ac si actualiter semper adesset: tum in particulari, quia voluntas applicans valorem sacrificij, aut aliorum operum, in finem determinatum, sortitur effectum applicationis, dummodò non retractetur, tamen si actualiter non adsit, dum perficitur sacrificium, aut opus merito-

rium. Eadem autem videtur esse ratio de voluntate perficiendi sacramentum, & exequendi actiones exteriores ad illud pertinentes, eo fine; ut ipsum perficiatur validè, atque effectus eiusdem obtineatur.

2. Pro sufficientia tam virtualis, quam habitualis intentionis adest consideratio magni ponderis, nimirum ex quo ministerium sacramentorum commissum est hominibus, videri acceptatum esse, ut sufficientem modum operandi humanum familiarem, ac ordinarium. Modus autem operandi ordinarius apud homines est, ut fines præsertim eos, quorum explicita, ac formalis apprehensio est difficilis, & valde abstracta, intendat implicitè tantum, ac virtualiter; utque post illos semel præipientos, actiones deinde exteriores ordinatas ad ipsos exequantur absque actuali ad eosdem aduententia. Ergò hic modus operandi credendus est sufficiens pro valore sacramenti.

3. Idem vrgetur ab inconuenienti: Quia ex proposito sequeretur, nimium frequenter sacramenta perfici inualidè, propter imbecillitatem, & facilem diuersionem mentis humanæ, impotentis proinde moraliter, ut formaliter, & actualiter, explicita, ac immobili semper intentione feratur in finem spirituale operis exterioris præsertim supernaturalem, & usque adedè eleuatam; atque est infusio gratiæ.

Sed contra est quoad intentionem virtuale. Quia qui vult causam necessariam alicuius effectus, eo ipso vult virtualiter ipsum effectum, tamen si eius intentio non attingat eundem immediatè. Sacramentum autem est causa necessaria gratiæ; & dictum nihilominus est quæst. præcedenti necessariam esse pro eius valore intentionem quæ immediatè feratur in gratiam. Ergò non sufficit intentio virtualis.

Contra similiter est, quoad habitualement. Quia intentio ministri debet esse causa actionum exteriorum sacramentalium, eas inducens vi sua. Intentio autem habitualiter tantum perseverans nullam potest exercere causalitatem mouendi, & applicandi potentias exteriores.

Art. 1. Respondetur. Intentio virtualis, & habitualis non vsurpantur eodem sensu ab omnibus, nec ab iisdem semper. Indigent proinde distinctione, & expositione. Intentio, quæ dicitur virtualis, & implicitè respectu alicuius obiecti, aut prædicati, necessario est formalis, & explicita respectu alicuius alterius obiecti, aut prædicati. Similiter quæ habitualis est, complectitur in ratione talis per aliquid actuale, tunc actualiter existens, cum illa habitualiter existit. Quidquid enim verè dicitur, dicitur utique per enunciationem formaliter, & actualiter veram, ideoque habentem obiectum quod formaliter, & actualiter sit verum in se pro ea duratione, pro qua significatur per eandem enunciationem; quandoquidem veritas enunciationis dependet à veritate obiecti, prout enunciatum per ipsam. Consistit enim essentialiter in conformitate cum obiecto; in eo videlicet, ut obiectum habeat in se veritatem, transcendentalem, & entitativam, qualem habet intentionalem, & representativam in cognitione. Omnis igitur cognitio formaliter, & actualiter vera habet obiectum formaliter, & actualiter verum in se pro ea duratione, pro qua per ipsum representatur, ac enunciatum; ac proinde habet obiectum, quod formaliter, & actualiter detur à parte rei pro eadem duratione. Quia vnumquodque ita se habet ad verum, sicut se habet ad esse, ut habetur ex Diuo Thoma 1. par. quæst. 14. art. 9. & 10. atque ut dicit Aristoteles 2. Met. text. 4. dispositio rei in esse est, sicut sua dispositio in veritate. Vnde nihil potest esse veritatis intentionalis, aut fundamentum, aut terminus, aut complementum, quin sit in se formaliter, habeatque formaliter, & actualiter in se esse, quale enun-

ciatur de ipso, & habet in cognitione sui vera. Omnis igitur intentio, tum virtualis, tum habitualis, est, tum formalis intentio alicuius, tum actualiter aliquid.

Art. 2. Contingit verò intentionem aliquam esse virtutalem respectu alicuius obiecti. Primò, quia intendit realiter aliquid realiter ab eo distinctum, sed connexum intrinsece cum eodem; ratione cuius connexionis trahentis secum necessariò suum terminum perinde aestimatur ipsum velle, ac terminum secundum se. Istud porrò ita connexum potest esse aliquid, vel antecedens, vel consequens, vel concomitans respectu sui termini. Antecedens, vt causa necessaria respectu sui effectus: Consequens, vt effectus respectu suae causae vnicæ: Concomitans, vt pars materiae minor minima naturali respectu alterius compartis. Intentio sufficiens respectu sacramenti non potest esse virtualis respectu eiusdem, ex eo quod sit formalis intentio alicuius antecedentis connexi cum sacramento, vel cum gratia, quæ est eius effectus. Quia valor sacramenti constituitur intrinsece, vt dictum est supra per ipsam intentionem liberam ministri; cum qua proinde nihil eandem antecedens potest habere connexionem necessariam. Gratia verò, quæ ad sacramentum consequitur, debet esse præintenta seorsim, & non tantum in causa, vt patet ex quaest. 1; quatenus voluntas ministri constituitur, in ratione sufficientis ad perficiendum sacramentum, per ipsam gratiam secundum se intentionem. Sed neque sufficit vniuersaliter, vt intentio terminetur formaliter ad aliquid consequens secundum se. Quia non est de ratione sacramenti, vt sit causa vnicæ determinatè necessaria ad existentiam effectuum, qui ex ipso procedunt, vt dicitur quaest. 28. Ea nihilominus sacramenta, quorum aliquis effectus vnicè dependet ab iisdem, qualis est character, erunt virtualiter intentata per intentionem formalem talis effectus; eademque sufficiet, vt validè illa perficiantur: Si quid erit concomitans similiter connexum, eius quoque formalis intentio similiter sufficiet.

Art. 3. Contingit secundo, intentionem esse virtutalem de aliquo, quia est formalis circa prædicatum identificatum realiter cum illo, & conuertibile cum eodem. Certissime autem est sufficiens ea virtualis intentio, quæ formaliter intendit aliquid identificatum cum sacramento valido, atque cum eo intrinsece connexum, ac conuertibile. Quia constat ex Conciliis indicatis eadem quaest. 13. sufficere, vt minister intendat facere, quod facit Ecclesia. Quod autem facit Ecclesia, non est conceptus explicitus sacramenti, aut collationis sensibilis gratiæ, vt patet; est tamen prædicatum conuertibile cum iis, & realiter identificatum. Quia Ecclesia vult facere actiones exteriores sacramentales ad eum finem, quem edocta est à Christo, vt intendat, ac inducat per illas. Nomine namque Ecclesiae intelligitur multitudo hominum in hunc modum addicta Christo; tum vniuersaliter, dum absolute profertur; tum in particulari, quoad aliquod opus, dum comparatur cum eo. Consequens verò inde est, similiter sufficere, si minister intendat exercere easdem actiones. Primò, iuxta Christi, seu intentionem, sed institutionem. Secundò, vti solent fieri à bonis, seu Ecclesiae, seu Christi ministris. Tertio, vt omne bonum obtrineatur, quod Deus illis actionibus deuinxit. Quarto, vt prosint ei, circa quem exercantur, quantum prodesse possunt iuxta Dei præsentem voluntatem, ac prouidentiam, vel quantum ille idem legitime intendit. Quintò, qui solitus est facere eas actiones cum aliqua, ex his, intentione, vel alia similis æquiualentia multipliciter possibilis, sufficiet, si formaliter tantum intendat facere, quod solet ipse facere. Atque hæc, in exemplum, sufficiant.

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I I.

Art. 4. Vnum addo; sufficere, si quis formaliter intendat exequi actiones eas exteriores in nomine Dei, aut Christi, vel quatenus est eius minister. Quia sicut minister hominis, per eiusmodi formalem voluntatem, virtualiter vult, vt acquisitio dominij, aut pondus obligationis, cuius est inductiua actio, quam exercet, illi cedat, aut illum grauet, cuius est minister, & non se, aut sibi: vtque actio à se exercita sortiatur effectum, quem sortiretur, si eam per se, & sine dependentia ab alterius voluntate exequeretur is, cuius ipse est minister: ita minister Dei incapax, qui grauetur, aut lucretur, si formaliter intendat exequi actionem exteriorem in nomine Dei, aut Christi, aut quatenus est eius minister, eo ipso intendit virtualiter, vt sua actio profit illi, circa quem exercetur, quantum Deus, & Christus voluit, vt profit eidem, vtque sortiatur effectum, qui est cõformis vtriusque intentioni, ac voluntati. Hæc videlicet sunt, quæ proportionem seruata, apprehenduntur re ipsa, & intenduntur ab operante, dum operatur formaliter, vt minister, aut nomine alterius. Huiusmodi porrò intentionem aliquam concipere facile potest, etiam vtunque rudis, immò, & infidelis. Quia, licet non habeant cognitionem explicitam, & certam rerum supernaturalium, habent tamen facile implicitam cognoscendo explicitè prædicatum aliquod conuertibile cum illis, vt apparet in exemplis positis.

Artic. 5. Iam habitualis intentio finis consistens in sola dispositione animi actualiter existente, vi cuius si in mentem veniret talis aliquis finis, proculdubio intenderetur actualiter, non sufficit ad validum sacramentum. Quia intentio, ad hoc sufficiens est causatiua gratiæ, dispensatiua, donatiua, &c. vt dictum est supra. Intentio autem, quæ existeret, & non existit, nihil potest causare, dispensare, donare, &c. sed posset. Eadem ratione non sufficit intentio aliquando habita, & tantum non retractata, solumque perseverans per actualem existentiam eorum, quibus impeditur retractatio, & speciei impressa, aut dispositionis habitualis; aut memoriæ relictarum ab ipsa. Quia intentio hoc tantum pacto perseverans, nec mediata, nec immediata est causa actionum exteriorum, quæ tempore, ad illius secundum se existentiam, consequenti, exequutioni mandantur. Siquidem potentiae exteriores, intentionem tempore, seu breui, seu longo priorem, percipere, aut vllum ab eadem, secundum se impulsu, accipere nequaquam possunt; & illæ aliæ tres qualitates non sunt actiuae per se, & motiuae respectu earundem potentiarum. Hinc à fortiori concluditur non posse sacramentum validè perfici per actiones exteriores exercitas tempore somni, aut ebrietatis; tametsi antecesserit intentio formalis, siue conditionata, siue absoluta de perficiendo sacramento, quæ fuerit formaliter concepta ex præcognitione experimentalis de exercendis eo tempore actionibus exterioribus sufficientibus, quantum est ex se, ad sacramentum. Quia, in vtroque casu, eiusmodi intentio se habet purè materialiter respectu exequutionis hic, & nunc talium actionum. Quæ videlicet eodem modo exercendæ forent; tametsi nulla talis intentio deliberata, & propriè humana præcessisset; aut etiam præcessisset intentio contraria de non perficiendo sacramento. Quare actiones exteriores taliter circumstantionatæ nullam iam retinent vim significandi intentionem interiorem legitimam, siue præsentem, siue præteritam.

Art. 6. Superest igitur, vt ea solum intentio habitualis sufficiens dicatur, quæ non est purè habitualis; sed cui, præter existentiam præteritam, & præsentem non retractationem, adiungatur aliquis intentio actualis aliquo modo illam in se continens propter

D d

intrinse

intrinsecam aliquam relationem, & propter aliquam simul reflexionem supra eandem; & imperans, atque inducens vi sua actiones exteriores sacramentales. Huiusmodi intentio est: velle operari in ordine ad finem præintendum. Nolle actionibus iam inceptis nouum motuum adiungere; velle constantiam propositi in tali opere: Velle illud absolueri, prout inchoatum fuit; velle insistere ceptis, seu progredi in eisdem, aut plenarie satisfacere priori animi inclinationi. Quibus sunt alij similes quamplures, supra priorem intentionem, reflectendi modi, eandem in se virtualiter continentes, & inuicem æquivalentes, iidemque vsque adeo familiares, & tam facile insinuabiles animo post præmissam iam deliberationem, & intentionem directam finis, vt vix percipiantur, aut veniant sub experimentalem notitiam, distinctam, & claram. Caterum ratio manifesta conuincit potentias exteriores non posse moueri, aut applicari de nouo ad opus, aut continuare suas actiones, quin illis imperet actualiter tunc existens, vel noui motui noua intentio, vel præexistens continuatio, seu repetitio, vel formalis, vel virtualis modo dicto.

Artic. 7. Noua noui finis intentio impertinenter se habens ad priorem intentionem non sufficit ad valorem sacramenti. Quia tunc prior intentio nullatenus influit in actiones tempore posteriori exercitatas, neque istæ ab illa mediata, vel immediate dependent. Immo vix fieri potest, vt talis noua intentio non excludat, ac retractet priorem intentionem; Tum quia nouum motuum, siquidem intenditur absque vlla attentione ad motuum præcedens, intenditur vt adæquatum positiuè, & negatiuè, adeoque excluditur, & retractatur prior intentio. Tum quia, qui omittit, nec actualiter vllō modo intendit motuum, cuius intentionem significant verba, & actiones exteriores, quibus deliberatè se applicat; id vtique facit volendo fingere, ac mentiri, adeoque idem motuum reiiciendo, & retractando eius intentionem, si præcessit. Necessè igitur est, vt vltra intentionem præteritam, & non retractatam, adsit actualiter intentio alia ratificatiua illius, eiusdemque saltem virtualiter iteratiua aliquo ex modis supra insinuatis; vi cuius, per se ipsam applicantis potentias inferiores, inducantur actiones exteriores sacramentales, vtpote habentes, ab eadem sic influente valorem, ac vim illatiuam gratiæ.

Art. 8. Vnde apparet, quare intentio offerens valorem sacrificij, aut aliorum operum in finem determinatum, non necesse sit vt actualiter adsit per se, vel per aliam intentionem intrinsecè continuatiuam, ac contentiuam ipsius, quando sacrificium peragitur, vel meritoria eliciuntur. Quia delictet intentio purè applicatiua, non est causatiua valoris, quem offert, seu applicat, & effectus, quem immediate intendit, ponitur à parte rei per voluntatem alterius; in cuius proinde præuisione sufficit, vt actualiter perseveret intentio applicatiua, quando executioni mandantur actiones exteriores, seu interiores habentes aliunde valorem. Oppositum huius accidit in intentione conferente valorem sacramento, seu sacrificio, vel operi meritorio, vt patet ex dictis. Ex quibus etiam patet quid dicendum sit ad ea, quæ pro vtraque parte dicta sunt, aliquid vtriusque concedendo, aliquid negando.

QVÆSTIO XVI.

Virum intentio conditionata sufficiat ad valorem sacramenti?

Videtur non sufficere. 1. Quia materia, & forma sacramentorum, maxime verò formæ: *Ego te absoluo*: *Ego te baptizo*: significant absolute, atque ad verificandam significationem absolutam non sufficit intentio conditionata. Dictum autem est q. 13. non sufficere, ad valorem sacramenti intentionem, quæ non sufficit ad verificandam significationem sacramentalem.

2. Non valet sacramentum sub hac conditione, si cras peccabis, vel etiam non peccabis; si abusus es sacramento, vel è contra, & similibus. Idem communiter censetur de his: si es prædestinatus: si Deus scit te non peccaturum esse cras, te lecturum, pugnaturum, & sic de similibus. Eadem autem videtur esse ratio, de quauis alia conditione.

Art. 1. Respondetur. Certum primo est, non reddi nullum sacramentum per appositionem cuiusvis indiscriminatum conditionis de præterito, aut præsentis. Nam cap. 2. de Baptismo consultitur, vt ij, de quibus dubitatur an iam fuerint baptizati, baptizantur sub hac conditione, & expressione: *Si non es baptizatus, nec dubitatur valere sacramentum*: *Ego te baptizo, si es homo viator*: *Ego te absoluo, si habes characterem baptismalem*. Certum secundo est valere sub quauis conditione necessaria ex sua natura; vt si *cras Sol lucebit*, quia intentio sic conditionata perinde æstimatur, atque omnino absoluta, & vtraque infert suos effectus eodem modo. Intentio namque conditionata, data conditione, redditur absoluta; atque conditiones ex sua natura necessariae iam dantur. Licet enim Sol crastinus modò non luceat; modò tamen datur, quod lucebit; idque est notum omnibus. Quæ ratio notitiæ est omnino necessaria, vt mox dicitur in tertia illatione. Certum tertio est, quauis per ministrum apposita conditione, eaque non subsistenti, sacramentum reddi nullum. Quia hoc beneficium dispensat minister liberè, quando, quomodo, & cui vult, vt superius dictum est. Quare ipso nolente facere quidquam, aut præstare, nisi sub tali conditione, si ea non subsistat, nihil sit, aut præstetur.

Artic. 2. Hinc colligitur: Primò sacramentum sub conditione impossibili esse nullum. Quia talis conditio nunquam subsistit. Colligitur secundo intentionem conditionatam conditione redeunte in ipsam intentionem; id est habentem se ipsam pro conditione mediata, vel immediate non sufficere ad valorem Sacramenti. Quia talis conditio est impossibilis in ratione conditionis. Fieri namque non potest, vt intentio distinguatur realiter à se ipsa, aut vt existat independenter à se ipsa, quatenus determinante formaliter voluntatem ad dandum sibi existentiam. Est verò de ratione conditionis, vt distinguatur à conditionato, & eius intentione, vtque existat independenter ab eadem intentione. Dicitur autem intentio habere se ipsam pro conditione immediata quidem, quando apponit pro conditione aliquod prædicatum secum re ipsa identificatum; mediata verò cum apponit pro conditione intentionem aliam realiter distinctam à se, sed quæ ipsam vicissim apponat pro conditione. Quibus profectò modis nemo Sacramentum aut quidquam aliud vnquam intendit. Discutiunt tamen ex professo sic intendentem nonnulli subtiles Theologi in præsentis, quibus præmit Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 13. sect. 3. ad 3.

Art. 3.